

LAUDES ANNAE KOMORNICKA*

Anna, virtutum specimen decorum,
Uxor et mater Sophiis et Evis,
Angelis Marthisve imitanda multis
Caeciliisve.

Sorte, fallaci, fragili vagaque,
Scis tamen prudens moderataque uti
Nec Lares spernens neque iniqua turbae
Docticanarum

Virginum cultrix: studiis honestis
Lauream doctricis adepta iustam,
Litteris sollers academicoque
Munere functa.

Te semel si Calliope sodalem
Blanda dilexit studiorum amantem,
Diligat semper, ferat adque summum
Culmen honorum.

Nam proba morum specie verenda
Quo nites mentisque animique cultu,
Scis eo multos facere altiores,
Dis propiores.

Systemate Sapphico minore composuit
Mieczislaus BROSCIUS

* Wiersz opublikowany w 1993 r. w czasopiśmie „Filomata” (nr 413, s. 13–14).